Annus XIX - Vol. XIX 1 Septembris 1927 Num. 9

ACTA APOSTOLICAE SEDIS

COMMENTARIUM OFFICIALE

SUMMARIUM

Acta Pii PP. XI: Constitutio Apostolica, p. 297 - Litterae Apostolicae, p. 299 - Epistolae, p. 307.

Acta SS. Congregationum: *S. C. Consistorialis:* Provisio Ecclesiarum, p. 315 - *S. C. de Religiosis:* Approbationes, p. 315 - *S. C. Rituum:* I. Namurcen. Decretum confirmationis cultus B. Hugoni Fossensi praestiti, p. 316. II. Calaritana. Decretum de virtutibus in causa canonizationis B. Salvatoris ab Horta, p. 320 - *S. C. pro Ecclesia Orientali:* Provisio Ecclesiae, p. 323.

Acta Tribunalium: *S. Romana Rota;* Citationes edictales. I. Luganen. (Fettolini-Valeri), p. 324. II. Colonien. (Verweyen-Plass), p. 325. III. Paderbornen. (Nickel-Kahn), p. 326.

Diarium Romanae Curiae: Udienza solenne - S. C. dei Riti: Congregazione Antipreparatoria - Tribunale della S. Romana Rota: Avviso - Segreteria di Stato: Nomine - Maggiordomato: Nomine - Necrologio, pp. 327-328.

ROMAE

TYPIS POLYGLOTTIS VATICANIS

M · DCCCC · XXVII

Directio: Palazzo della Cancelleria — Roma.

Administratio: Libreria Vaticana — Roma.

Pretium annuae subnotationis
Pro Italia, Lib. 20 — Extra Italiam, *L. it.* 35 —
Pretium unius fasciculi, Lib. 8 —

« *Bis fere in mense* (Commentarium) *prodibit ac quotiescumque vel necessitas vel utilitas id postulare videbitur* » (Ex *Commentarii Officialis* ratione die 29 octobris 1908 edita).

INDEX HUIUS FASCICULI

(An. XIX, n. 9 - 1 Septembris 1927)

ACTA PII PP. XI

Constitutio Apostolica

PAG.

Ob nova. - Dismembrationis et unionis inter dioeceses Tarvisinae et Venetiarum. - *14 Februarii 1927* 297

Litterae Apostolicae

I. *Quae in exploratam.* - Nova finium immutatio inter praefecturas apostolicas de Lulua et Katanga in Congo Belgico: - *7 Aprilis 1927* 299

II. *Sacra aedes.* - Titulus et honores Basilicae minoris conceduntur ecclesiae S. Francisci Ass. civitatis Mendoza, in dioecesi Sancti Ioannis de Cujo. - *23 Aprilis 1927* 300

III. *Non sine magna animi.* - Praefectura apostolica de Lang-Long in Sinis erigitur in vicariatum apostolicum. - *27 Aprilis 1927* 301

IV. *In omnes orbis.* - Seiuncto territorio e vicariatu apostolico Birmaniae orientalis erigitur praefectura apostolica de Keng-Tung. - *27 Aprilis 1927* 302

V. *In universas orbis.* - Immutatio nominis vicariatus apostolici iam Birmaniae orientalis, in posterum de Toungoo appellandi. - *27 Aprilis 1927* 303

VI. *Nihil antiquius.* - Separato territorio e vicariatu apostolico de Batavia erigitur praefectura apostolica de Malang. - *27 Aprilis 1927* 304

VII. *In hac Beati Petri.* - Novus limes inter vicariatum apostolicum de Leopoldville et praefecturam apostolicam de Coquilhatville, in Congo Belgico. - *27 Aprilis 1927* 305

VIII. *Quae catholico.* - Immutatio finium inter vicariatum apostolicum de Nova Guinea orientali et praefecturam apostolicam de Nova Guinea centrali. - *27 Aprilis 1927* 306

Epistolae

I. *Quinto feliciter.* - Ad Em̃um P. D. Iosephum Ernestum tit. S. Mariae de Aracoeli S. R. E. Presb. Card. Van. Roey, Archiepiscopum Mechliniensem, quem Legatum Suum mittit ad solemnia quinquies saecularia Universitatis Studiorum Lovaniensis celebranda. - *24 Iunii 1927* 307

II. *Cum valde.* - Ad Em̃um P. D. Patricium tit. S. Mariae de Pace S. R. E. Presb. Cardinalem O'Donnell, Archiepiscopum Armachanum, quem legatum Suum eligit ad Concilium plenarium ex tota Hibernia. - *17 Iulii 1927* 309

III. *Numquam sane.* - Ad Em̃um P. D. Petrum tit. Basilicae XII Apostolorum S. R. E. Presb. Cardinalem La Fontaine, Patriarcham Venetiarum: de Sancto Rocho saeculo exeunte sexto ab eius natali celebrando. - *28 Iulii 1927* . . . 310

IV. *Mexicani alumni.* - Ad R. P. D. Franciscum Orozco y Jimenez, Archiepiscopum de Guadalaxara, quinto et vicesimo episcopatus eius anno exeunte. - *28 Iulii 1927* 311

PAG.

V. *Ex conventu.* - Ad Em̃um P. D. Eugenium tit. S. Martini in Montibus S. R. E. Presb. Card. Tosi Archiepiscopum Mediolanensem, ceterosque Insubriae Episcopos: obsequiosis litteris respondet ex communi conventu Rhaudensi datis. - *29 Iulii 1927* 312

VI. *Cum Eucharistiam.* - Ad R. P. Petrum De Maria, Archiepiscopum tit. Iconiensem eumdemque in Helvetia Nuntium Apostolicum, quem Legatum Suum mittit ad congressum eucharisticum Einsidlensem ex tota Helvetia. - *10 Augusti 1927* 313

ACTA SS. CONGREGATIONUM

S. CONGREGATIO CONSISTORIALIS

Provisio Ecclesiarum 315

S. CONGREGATIO DE RELIGIOSIS

Approbationes 315

S. CONGREGATIO RITUUM

I. *Namurcen.* - Decretum confirmationis cultus ab immemorabili tempore praestiti servo Dei Hugoni Fossensi, Ordinis Praemonstratensis Abbati, Beato nuncupato. - *13 Iulii 1927* 316

II. *Calaritana.* - Decretum super virtutibus in causa canonizationis Beati Salvatoris ab Horta, Laici professi Ordinis Fratrum Minorum. - *13 Iulii 1927* 320

S. CONGREGATIO PRO ECCLESIA ORIENTALI

Provisio Ecclesiae 323

ACTA TRIBUNALIUM

S. ROMANA ROTA

Citationes edictales:

I. *Luganen.* - Nullitatis matrimonii (Fettolini-Valeri). - *10 Augusti 1927* . 324

II. *Colonien.* - Nullitatis matrimonii (Verweyen-Plass). - *10 Augusti 1927* . 325

III. *Paderbornen.* - Nullitatis matrimonii (Nickel-Kahn). - *10 Augusti 1927* 326

DIARIUM ROMANAE CURIAE

I. Udienza solenne 327

II. S. Congregazione dei Riti: *Congregazione Antipreparatoria* 327

III. Tribunale della S. Romana Rota: *Avviso* 327

IV. Segreteria di Stato: *Nomine* 327

V. Maggiordomato di S. S.: *Nomine* . . . 328

VI. Necrologio 328

Annus XIX - Vol. XIX 1 Septembris 1927 Num. 9

ACTA APOSTOLICAE SEDIS

COMMENTARIUM OFFICIALE

ACTA PII PP. XI

CONSTITUTIO APOSTOLICA

TARVISINAE ET VENETIARUM
DISMEMBRATIONIS ET UNIONIS

PIUS EPISCOPUS
SERVUS SERVORUM DEI
AD PERPETUAM REI MEMORIAM

Ob nova praesentis temporis adiuncta, civilis auctoritatis decreto nonnulla oppida, quae sub iurisdictione erant Episcopi Tarvisini, municipio Venetiarum adiecta sunt, quamvis sint in proxima continenti terra. Cum itaque disceptaretur an expediret etiam ecclesiasticos fines paululum immutare inter duas dioeceses, auditis utriusque dioecesis Ordinariis, et suppleto etiam, quatenus opus sit, quorum interest vel qui sua interesse praesumant consensu, censuimus et decrevimus a dioecesi Tarvisina distrahere finitimoque Venetiarum Patriarchatui unire, sicuti per praesentes Litteras de facto respective distrahimus et unimus, undecim sequentes paroecias, videlicet *Mestre*, *Carpenedo*, *Campalto*, *Favaro Veneto*, *Dese*, *Chirignago*, *Zellarino*, *Trevignano di Mestre*, *Mira*, *Borbiago*, *Oriago*. Hanc vero paroeciarum dismembrationem ac unionem ita exsequendam statuimus ut sacerdotibus in earum territorio residentibus, et qui paroeciali beneficio non fruuntur, detur facultas eligendi, infra tempus ab exsecutore inferius designando statuendum, utrinam dioecesi accenseri velint, an Tarvisinae videlicet an Venetiarum, ibique suum figere domicilium. Volumus tandem et mandamus ut documenta praefatas paroecias respicientia a Cancellaria Curiae episcopalis Tarvisinae ad Cancellariam Curiae

patriarchalis Venetiarum debita forma transferantur. Ad haec autem exsecutioni mandanda deputamus dilectum filium Nostrum Petrum tituli SS. Duodecim Apostolorum S. R. E. Cardinalem La Fontaine, Patriarcham Venetiarum, cum facultatibus necessariis et opportunis, etiam subdelegandi ad effectum de quo agitur alium virum in ecclesiastica dignitate vel officio constitutum, itemque pronuntiandi super quavis oppositione in exsecutionis actu quomodolibet oritura, iniuncta eidem obligatione intra sex menses, ab his Litteris datis computandos, ad Sacram Congregationem Consistorialem transmittendi authenticum peractae exsecutionis exemplar. Volumus autem ut harum Litterarum transumptis etiam impressis, manu tamen alicuius notarii publici subscriptis et sigillo cuiuslibet viri in officio vel ecclesiastica dignitate constituti munitis, eadem prorsus tribuatur fides quae hisce ipsis Litteris tribueretur, si exhibitae vel ostensae forent. Non obstantibus, quatenus opus sit, constitutionibus et ordinationibus Apostolicis et quibusvis aliis Romanorum Pontificum praedecessorum Nostrorum dispositionibus ceterisque contrariis quibuscumque etiam speciali mentione dignis. Nemini autem has Litteras Nostras dismembrationis, unionis, concessionis, mandati et voluntatis Nostrae infringere vel eis contraire liceat. Si quis autem ausu temerario hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei et beatorum Petri et Pauli, Apostolorum eius, se noverit incursurum.

Datum Romae apud Sanctum Petrum, anno Domini millesimo nongentesimo vigesimo septimo, die quartadecima mensis Februarii, Pontificatus Nostri anno sexto.

✠ C. Card. DE LAI, Ep. Sabinen. et Mandelen., *S. C. Consistorialis Secretarius.*

O. Card. CAGIANO, *S. R. E. Cancellarius.*

Ioseph Wilpert, *Decanus Protonotariorum Apostolicorum.*
Dominicus Iorio, *Protonotarius Apostolicus.*

Loco ✠ Plumbi

Reg. in Canc. Ap. vol. XXXV, n. 2. – M. Riggi.

LITTERAE APOSTOLICAE

I

NOVA FINIUM IMMUTATIO INTER PRAEFECTURAS APOSTOLICAS DE LULUA ET KATANGA IN CONGO BELGICO.

PIUS PP. XI

Ad futuram rei memoriam. — Quae in exploratam cedant christianae plebis utilitatem, et in regionibus longo terrarum marisque spatio seiunctis ab hoc orbis catholici centro, rei sacrae procurationi melius gerendae conducant, ea sollicito studio ut decernamus Nos admonet supremi munus apostolatus, quo, nullis quidem meritis Nostris, divinitus in terris fungimur. Iamvero cum Praefecti Apostolici de Lulua et Katanga centrali, ac de Katanga septentrionali in Congo Belgico, Nos nuperrime flagitaverint ut pro bono animorum sibi concreditorum nova limitum variatio inter duas ipsas finitimas Missiones adsignetur et statuatur, Nos, collatis consiliis cum venerabilibus fratribus Nostris Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalibus negotiis Propagandae Fidei praepositis, omnibusque rei momentis attente perpensis, supradictorum Praesulum votis ultro libenterque concedendum existimavimus. Quare motu proprio atque ex certa scientia et matura deliberatione Nostris, deque apostolicae Nostrae potestatis plenitudine, praesentium tenore, decernimus ut pars territorii ad septentrionem fluminis *Lovoi*, idest territorium civile de *Mato*, ad praefecturam de Katanga septentrionali pertinens, praefecturae de Lulua et Katanga centrali adsignetur; et ripa fluminis *Lualaba*, a *Mulongo* ad confluentiam fluminum *Lualaba* et *Lulua*, videlicet territorium complectens tribus *Mulongo* et *Kibuti*, nec non centrum fodinarum de *Mmanono*, hactenus sub praefecturae apostolicae de Lulua et Katanga centrali iurisdictione, Missioni de Katanga septentrionali iungatur.

Haec edicimus, decernentes praesentes Litteras firmas, validas atque efficaces iugiter exstare ac permanere; suosque plenos atque integros effectus sortiri atque obtinere, illisque ad quos pertinent sive pertinere poterunt, nunc et in posterum plenissime suffragari; sicque rite iudicandum esse ac definiendum, irritumque ex nunc et inane fieri si quidquam secus super his a quovis auctoritate qualibet, scienter sive ignoranter attentari contigerit. Non obstantibus contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud Sanctum Petrum, sub anulo Piscatoris, die VII mensis Aprilis anno MDCCCCXXVII, Pontificatus Nostri sexto.

P. CARD. GASPARRI, *a Secretis Status.*

II

TITULUS ET HONORES BASILICAE MINORIS CONCEDUNTUR ECCLESIAE S. FRANCISCI ASS. CIVITATIS MENDOZA, IN DIOECESI SANCTI IOANNIS DE CUJO.

PIUS PP. XI

Ad perpetuam rei memoriam. — Sacra aedes intra limites dioecesis Sancti Ioannis de Cujo in civitate Mendoza in honorem divi Francisci Asisiensis, licet recens erecta, tamen structurae nobilitate, molis amplitudine atque artis operum decore inter praestantiores Reipublicae Argentinae iure meritoque est accensenda. Ipsa quidem eodem in loco se extollit, ubi iampridem surrexit vetus franciscale templum, immanis terraemotus vi deletum; eademque in aede, antiqua populi religione exculta, perantiqua et miraculis inclyta Beatae Mariae Virginis titulo Montis Carmeli imago asservatur, ad quam, gratiarum apud Deum sequestram, peregre et turmatim confluunt fideles, et quae tempore quo se in libertatem vindicavit Respublica nempe anno MDCCCXVII, universi populi suffragiis maxima Reipublicae Argentinae exercitus dux est declarata. Hanc etiam imaginem decessores Nostri Romani Pontifices singularibus honoribus sunt prosequuti, et rec. mem. Pius PP. X aureo eandem diademate augendam curavit. Benedictus autem XV, item rec. mem. Decessor Noster, contitularem illam sive compatronam enunciatae ecclesiae constituit. Haec animo repetentes, cum dilectus filius Iosephus Maria Bottaro, minister provincialis Ordinis Minorum Fratrum, provinciae B. Mariae Virginis, Platensis Fluvii, in Republica Argentina, enixas Nobis humiliter adhibuerit preces, gravi commendationis officio suffultas tam Episcopi Sancti Ioannis de Cujo, quam Procuratoris generalis Ordinis Fratrum Minorum, ut memoratam ecclesiam ad minoris Basilicae titulum ac dignitatem evehere de Apostolica benignitate velimus, Nos optatis his annuendum ultro libenterque existimavimus. Collatis itaque consiliis cum venerabili fratre Nostro Antonio S. R. E. Cardinali Vico, Episcopo Portuensi et Sanctae Rufinae, Sacrorum Rituum Congregationi Praefecto, omnibusque rei momentis attente perpensis, motu proprio atque ex certa scientia et matura deliberatione Nostris, deque apostolicae Nostrae potestatis plenitudine, praesentium tenore, ecclesiam seraphici patris et fundatoris S. Francisci Asisiensis in oppido Mendoza dioecesis S. Ioannis de Cujo intra limites positam, ad Ordinem Minorum Fratrum pertinentem, sacris reliquiis praeditam, nec non pretiosa supellectile, omniaque requisita habentem, etiam ob insignem imaginem Beatae Mariae Virginis de Carmelo inibi devotissime asservatam atque excultam, titulo

ac dignitate Basilicae minoris in perpetuum cohonestamus, additis privilegiis atque honorificentiis huic titulo adiunctis iuxta morem et decreta.

Haec statuimus, decernentes praesentes Litteras firmas, validas atque efficaces iugiter exstare ac permanere, suosque plenos atque integros effectus sortiri atque obtinere; illisque ad quos pertinent, sive pertinere poterunt, nunc et in posterum perpetuo suffragari; sicque rite iudicandum esse ac definiendum irritumque ex nunc et inane fieri si quidquam secus super his a quovis, auctoritate qualibet, scienter sive ignoranter attentari contigerit. Non obstantibus contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud Sanctum Petrum, sub anulo Piscatoris, die XXIII mensis Aprilis anno MDCCCCXXVII, Pontificatus Nostri sexto.

P. CARD. GASPARRI, *a Secretis Status.*

III

PRAEFECTURA APOSTOLICA DE LANG-LONG IN SINIS ERIGITUR IN VICARIATUM APOSTOLICUM.

PIUS PP. XI

Ad futuram rei memoriam. — Non sine magna animi Nostri laetitia comperimus in praefectura apostolica de Lang-Long in Sinis, curis Societatis Parisiensis pro Missionibus exteris concredita, christianam rem uberrima feliciter incrementa suscepisse. Cum itaque venerabilis frater Celsus Costantini, Archiepiscopus titulo Theodosiopolitanus et Delegatus Apostolicus Noster in Sinis Nos enixe postulaverit, ut praefecturam ipsam ad apostolici vicariatus ampliorem dignitatem erigere dignemur, Nos praelaudati Apostolici Delegati votis ultro libenterque concedendum existimavimus. Quae cum ita sint collatis consiliis cum venerabilibus fratribus Nostris Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalibus negotiis Propagandae Fidei praepositis, omnibusque rei momentis religiose perpensis, motu proprio atque ex certa scientia et matura deliberatione Nostris deque apostolicae Nostrae potestatis plenitudine, praesentium tenore, praefecturam apostolicam de Lang-Long in Sinis ad vicariatus apostolici titulum ac dignitatem evehimus ac promovemus.

Haec statuimus, volumus atque edicimus, decernentes praesentes Litteras firmas, validas atque efficaces iugiter exstare ac permanere; suosque plenos atque integros effectus sortiri atque obtinere; illisque ad quos pertinent, sive pertinere poterunt nunc et in posterum amplissime suffragari, sicque rite iudicandum esse ac definiendum, irritumque ex nunc et inane

fieri si quidquam secus super his a quovis, auctoritate qualibet, scienter sive ignoranter attentari contigerit. Non obstantibus contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud Sanctum Petrum, sub anulo Piscatoris die XXVII mensis Aprilis anno MDCCCCXXVII, Pontificatus Nostri sexto.

P. CARD. GASPARRI, *a Secretis Status.*

IV

SEIUNCTO TERRITORIO E VICARIATU APOSTOLICO BIRMANIAE ORIENTALIS ERIGITUR PRAEFECTURA APOSTOLICA DE KENG-TUNG.

PIUS PP. XI

Ad futuram rei memoriam. — In omnes orbis christiani regiones vel longo terrarum marisque intervallo seiunctas, ex hac divi Petri Cathedra, quam divinitus obtinemus, tamquam sublimi e specula oculos mentis Nostrae convertimus et quae in exploratam cedant utilitatem fidelium gregis, quaeque rei sacrae procurationi melius expediendae conducant, ea, nulla interposita mora, suprema Nostra auctoritate decernere maturamus. Iamvero cum vicariatus apostolicus Birmaniae Orientalis amplitudine territorii et incolarum frequentia conspicuus, peramplam de Keng-Tung regionem amplectatur, quae, fidelium numero in dies feliciter percrebrescente, peculiarem curam quoad spirituales populi necessitates requirere videtur, cumque idem Vicarius Apostolicus enixis precibus flagitaverit ut regio illa e dicto vicariatu Birmaniae Orientalis detracta in apostolicam praefecturam per Nos erigatur: Nos, id in verae Fidei incrementum quam maxime cessurum rati, memorati Antistitis votis annuendum ultro libenterque existimavimus. Quae cum ita sint, collatis consiliis cum venerabilibus fratribus Nostris Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalibus, negotiis Propagandae Fidei praepositis, omnibusque rei momentis ad trutinam religiose vocatis, motu proprio atque ex certa scientia et matura deliberatione Nostris, deque apostolicae Nostrae potestatis plenitudine, praesentium tenore, haec, quae sequuntur, decernimus ac statuimus. Nimirum territorium, quod a flumine *Saluen* pervenit usque ad flumen *Me-kong*, atque ad septentrionem concluditur a Sinensi provincia *Junnan*, ad orientem a flumine *Me-kong*, ad meridiem finibus regni *Xen-mai* circa vicesimum latitudinis septentrionalis gradum, tandem ad occidentem ab eodem flumine *Saluen*, seiungimus ac dismembramus a vicariatu apostolico Birmaniae Orientalis, idemque territorium ita seiunctum sive separatum in praefecturam apostolicam erigimus, cui nomen facimus de *Keng-Tung*. Porro hanc novam apostolicam de Keng-Tung

praefecturam curis committimus sacerdotum Pontificii Instituti a SS. Apostolis Petro et Paulo pro Missionibus ad exteras gentes.

Tandem haec edicimus et mandamus, decernentes praesentes Litteras firmas, validas atque efficaces iugiter exstare ac permanere; suosque plenos atque integros effectus sortiri atque obtinere; illisque ad quos pertinent sive pertinere poterunt, nunc et in posterum amplissime suffragari sicque rite iudicandum esse ac definiendum irritumque ex nunc et inane fieri si quidquam secus super his a quovis, auctoritate qualibet, scienter sive ignoranter, attentari contigerit. Non obstantibus contrariis quibuslibet.

Datum Romae apud Sanctum Petrum, sub Anulo Piscatoris, die XXVII mensis Aprilis anno MDCCCCXXVII, Pontificatus Nostri sexto.

P. CARD. GASPARRI, *a Secretis Status*.

V

IMMUTATIO NOMINIS VICARIATUS APOSTOLICI IAM BIRMANIAE ORIENTALIS, IN POSTERUM DE TOUNGOO APPELLANDI.

PIUS PP. XI

Ad futuram rei memoriam. — In universas orbis christiani regiones oculos mentis Nostrae ex supremi apostolatus officio convertentes, quae inibi rei sacrae expeditioni melius gerendae conducant, sollicito studio decernere maturamus. Hac mente cum venerabilis frater Emmanuel Segrada, Episcopus titularis Hirinensis, Vicarius Apostolicus Birmaniae Orientalis, Nos enixe flagitaverit ut e vicariatu sibi concredito regio de *Keng-Tung* separaretur, eaque detracta, pars quae superesset novum acciperet nomen geographicis rationibus magis accommodatum: Nos, collatis consiliis cum venerabilibus fratribus Nostris Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalibus negotiis Propagandae Fidei praepositis, votis memorati Antistitis annuendum esse existimavimus. Quare, motu proprio atque ex certa scientia et matura deliberatione Nostris, deque apostolicae Nostrae potestatis plenitudine, praesentium tenore vicariatum apostolicum Birmaniae Orientalis, de regione *Keng-Tung*, eadem Nostra auctoritate, modo imminutum, in posterum, *de Toungoo* appellandum esse statuimus, a civitate in qua Vicarius Apostolicus suam propriam sedem habet.

Haec volumus, decernentes praesentes Litteras firmas, validas atque efficaces iugiter exstare ac permanere; illisque ad quos pertinent, sive pertinere poterunt, nunc et in posterum plenissime suffragari; sicque rite iudicandum esse ac definiendum irritumque ex nunc et inane fieri si quid-

quam secus super his a quovis, auctoritate qualibet, scienter sive ignoranter attentari contigerit. Non obstantibus contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud Sanctum Petrum, sub anulo Piscatoris, die XXVII mensis Aprilis an. MDCCCCXXVII, Pontificatus Nostri sexto.

P. CARD. GASPARRI, *a Secretis Status.*

VI

SEPARATO TERRITORIO E VICARIATU APOSTOLICO DE BATAVIA ERIGITUR PRAEFECTURA APOSTOLICA DE MALANG.

PIUS PP. XI

Ad futuram rei memoriam. — Nihil antiquius Nobis est, quam ut christiana res maiora capiat in dies incrementa; ideoque non sine laetitia comperimus Missionem, quae in insula Iava districtus civiles de *Pasoeroean* et *Bosoeki* nec non *Madoera*, cum insulis adiacentibus complectitur, Ordinis Fratrum Carmelitarum curis demandatam sub Vicarii Apostolici de Batavia iurisdictione, tantos suscepisse progressus, adeoque florere, ut omnino apta videatur, quae in Missionem independentem erigatur. Cum igitur dilectus filius Generalis Prior Ordinis praelaudati Nos enixe flagitaverit ut Missionem ipsam in praefecturam apostolicam constituere dignemur, Nos optatis his concedendum ultro libenterque existimavimus. Collatis itaque consiliis cum venerabilibus fratribus Nostris Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalibus negotiis Propagandae Fidei praepositis, omnibusque rei momentis religiose perpensis, attenta quidem relatione ac voto Vicarii Apostolici de Batavia, motu proprio atque ex certa scientia et matura deliberatione Nostris, deque apostolicae Nostrae potestatis plenitudine, praesentium tenore, Missionis supradictae territoria omnia, quae recensuimus, in praefecturam apostolicam erigimus, cui nomen facimus de *Malang* et quam Carmelitarum ipsorum curis commissam relinquimus.

Haec statuimus, decernentes praesentes Litteras firmas validas atque efficaces iugiter exstare ac permanere, suosque plenos atque integros effectus sortiri atque obtinere; illisque ad quos pertinent sive pertinere poterunt, nunc et in posterum amplissime suffragari; sicque rite iudicandum esse ac definiendum, irritumque ex nunc et inane fieri si quidquam secus super his a quovis, auctoritate qualibet, scienter sive ignoranter attentari contigerit. Non obstantibus contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud Sanctum Petrum, sub Anulo Piscatoris, die XXVII mensis Aprilis anno MDCCCCXXVII, Pontificatus Nostri sexto.

P. CARD. GASPARRI, *a Secretis Status.*

VII

NOVUS LIMES INTER VICARIATUM APOSTOLICUM DE LEOPOLDVILLE ET PRAEFECTURAM APOSTOLICAM DE COQUILHATVILLE, IN CONGO BELGICO.

PIUS PP. XI

Ad perpetuam rei memoriam. — In hac Beati Petri Cathedra nullis quidem meritis Nostris collocati divinitus, tamquam e specula sublimi, in omnes orbis christiani regiones oculos mentis Nostrae convertimus, et quae rei sacrae expeditioni melius gerendae faciant, et quae in exploratam cedant fidelium utilitatem, ea sollicito studio, Nostraque auctoritate interposita, decernere maturamus. Iamvero cum hodierni Vicarius Apostolicus de Leopoldville et Praefectus Apostolicus de Coquilhatville, in Congo Belgico, iustis de causis adducti, Nos postulaverint ut inter proprias finitimas Missiones novi limites adsignarentur: Nos, ex hac mutatione conspicua obventura christiano populo bona pro certo habentes, optatis his concedendum ultro libenterque existimavimus. Quae cum ita sint, collatis consiliis cum venerabilibus fratribus Nostris Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalibus, negotiis Propagandae Fidei praepositis, omnibusque rei momentis ad trutinam religiose vocatis, motu proprio atque ex certa scientia et matura deliberatione Nostris, praesentium tenore, quo necessitatibus spiritualibus indigenarum in praedictis territoriis aptius provideatur, statuimus ut confinia inter praefata vicariatum apostolicum et praefecturam ita mutentur, ut tres pagi nempe *Bafake*, *Belongo Weti* et *Ilongo* a vicariatu apostolico de Leopoldville separentur et praefecturae apostolicae de Coquilhatville adiungantur.

Haec statuimus, mandamus, decernentes praesentes Litteras firmas, validas atque efficaces iugiter exstare ac permanere suosque plenos atque integros effectus sortiri atque obtinere; illisque ad quos spectant sive spectare poterunt, nunc et in posterum amplissime suffragari; sicque rite iudicandum esse ac definiendum, irritumque ex nunc et inane fieri si quidquam secus super his a quovis, auctoritate qualibet, scienter sive ignoranter attentari contigerit. Non obstantibus contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud Sanctum Petrum, sub anulo Piscatoris, die XXVII mensis Aprilis anno MDCCCCXXVII, Pontificatus Nostri sexto.

P. CARD. GASPARRI, *a Secretis Status.*

VIII

IMMUTATIO FINIUM INTER VICARIATUM APOSTOLICUM DE NOVA GUINEA ORIENTALI ET PRAEFECTURAM APOSTOLICAM DE NOVA GUINEA CENTRALI.

PIUS PP. XI

Ad futuram rei memoriam. — Quae catholico nomini aeternaeque fidelium saluti bene, prospere ac feliciter eveniant et quae rei sacrae procurationi melius gerendae faciant, ea ut sollicito studio decernamus Nos admonet supremi apostolatus officium, quo in terris divinitus fungimur. Iamvero cum dilectus filius Superior Generalis Congregationis Verbi Divini, vulgo de Steyl, enixe Nos postulaverit ut limites admodum arcti praefecturae apostolicae de Nova Guinea centrali, vicariatui apostolico de Nova Guinea orientali adiacentis, iustis de caussis immutarentur atque protraherentur: Nos, ex dicta immutatione atque amplificatione plurima in rem catholicam bona obventura fore pro certo habentes, considerato etiam voto favorabili in scriptis dato a venerabili fratre Vicario Apostolico Novae Guineae orientalis, votis his concedendum ultro libenterque existimavimus. Collatis itaque consiliis cum venerabilibus fratribus Nostris Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalibus negotiis Propagandae Fidei praepositis, omnibusque rei momentis religiose perpensis, motu proprio atque ex certa scientia et matura deliberatione Nostris, deque apostolicae Nostrae potestatis plenitudine, praesentium tenore, praefecturae apostolicae de Nova Guinea centrali fines ita immutamus, ut ipsa confinia non amplius gradum 142^{m} 22′ attingant, sed ad gradum 143^{m} 20′ protrahantur.

Haec volumus, edicimus, decernentes praesentes Litteras firmas, validas atque efficaces iugiter exstare ac permanere; suosque plenos atque integros effectus sortiri atque obtinere, illisque ad quos spectant sive spectare poterunt, nunc et in posterum amplissime suffragari; sicque rite iudicandum esse ac definiendum, irritumque ex nunc et inane fieri si quidquam secus super his a quovis auctoritate qualibet, scienter sive ignoranter attentari contigerit. Non obstantibus contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud Sanctum Petrum, sub anulo Piscatoris, die XXVII mensis Aprilis anno MDCCCCXXVII Pontificatus Nostri sexto.

P. CARD. GASPARRI, *a Secretis Status.*

EPISTOLAE

I

AD EM̃UM P. D. IOSEPHUM ERNESTUM TIT. S. MARIAE DE ARACOELI S. R. E. PRESB. CARDINALEM VAN ROEY, ARCHIEPISCOPUM MECHLINIENSEM, QUEM LEGATUM SUUM MITTIT AD SOLEMNIA QUINQUIES SAECULARIA UNIVERSITATIS STUDIORUM LOVANIENSIS CELEBRANDA.

PIUS PP. XI

Dilecte fili Noster, salutem et apostolicam benedictionem. — Quinto feliciter exeunte saeculo ex quo Lovaniensis ista Studiorum Universitas condita est, iuste quidem Rector eius magnificus Paulinus Ladeuze ceterique de senatu viri ad Apostolicam hanc Sedem imprimis ultroque cogitatione memori provolarunt; ut enim ipsi in suavissimis litteris ad Nos datis recte professi sunt, Romani Pontifices, cum ubique gentium domicilia huiusmodi scientiarum celeberrima constituenda nullo non tempore curaverint, tum istud nominatim Athenaeum magnum paterno quasi amore prosecuti sunt. Atque auspicato decessor Noster f. r. Martinus V, flagitante quidem Ioanne IV Brabantiae Duce, Universitatem Lovaniensem instituens, in Bulla *Sapientiae immarcescibilis* inscripta, verba illa edixit: ... *per quae* (litterarum studia) *divini nominis et eiusdem fidei cultus protenditur, militantis Ecclesiae respublica in spiritualibus et temporalibus cum animarum salute geritur, pax et tranquillitas ubilibet solidantur omnisque conditionis humanae dilatatur prosperitas.* Etenim haec omnia, tamquam coepta sibi proposita, urgere pro viribus ad effectumque adducere Lovanienses doctores, hoc longo aevi spatio, conati sunt; maximeque sanam doctrinam religiose tradendo et errores refellendo tam strenue ut iure Leo Pp. X, in Bulla « *Exsurge* », *reputationem* novae doctrinae a Lovaniensibus confectam, *non minus doctam quam veram et sanctam* appellaverit. Iamvero, cum de Ecclesia tum de ipso humano civilique cultu optime quidem Lovanienses meruere. Siquidem haec duo praecipue in Universitatis istius laude ponuntur: eam scilicet et catholicam semper, per varias etiam temporum rerumque vicissitudines, permansisse eandemque non ex una tantum vel paucis scientiarum facultatibus, sed ex facultatum omnium summa constare; ita ut, cum disciplinae humanae universae, docentibus quidem magistris in sua cuiusque scientia peritissimis, ibidem excolantur, undique frequenterque Lovanium confluere stu-

diosa iuventus consueverit. Profecto longum est memoriam hic omnium recolere clarissimorum virorum qui Athenaeum istud vel egregiis operibus, vel miris inventis, vel scriptis omne genus nobilitarunt; sed tamen illum commemorare placet perillustrem virum, Cardinalem Mercier, qui recens pastorali virtute aeque ac doctrinae laude floruit. Ac mirum quantum haud ita pridem studiosa eluxit erga Universitatem istam populorum voluntas. Cum enim Bibliotheca insignis, calamitosissimo desaeviente bello, omnino deleta esset, non modo ea denuo, multorum ex America civium munificentia, aedificata est, sed etiam novis libris eam instruendam plurimi quidem ubique curant; quos inter Nosmet ipsos esse laetamur. Merito igitur in eventu tam fausto sollemnia agentur amplissima, uti affertur, ceteris quidem ex omni terrarum orbe Athenaeis magnis plaudentibus. Nos vero qui, non secus ac decessores Nostri, peculiari quodam benevolentiae sensu Lovaniensium Universitatem prosequimur, nihil magis optamus quam ut res splendore maximo celebretur, quasi Nosmet ipsi coram essemus. Quamobrem te, dilecte fili Noster, his Litteris eligimus qui Nostram personam gerens, nomine et auctoritate Nostra iis sollemnibus praesideas aliisque caeremoniis praesis; non dubitantes quin tua ipsius virtute et amplitudine eius, qua te nuperrime auximus, dignitatis, festorum decora cumules. Atque precamur ut, auspice Virgine Matre, quam ab ipso iam initio veluti *Sedem Sapientiae* venerari consueverunt Lovanienses, cuiusque augusta effigies, Nostro quidem nomine, corona aurea mox redimietur, istud maiorum disciplinarum nobile Institutum optatos exitus consequatur; quandoquidem id omnes persuasum habent, incrementa Lovaniensis Universitatis quam maxime esse cum rei christianae civilisque utilitatibus coniuncta. Interea, quo celebratio splendidior fiat, libenter tibi damus ut adstantibus nomine Nostro benedicas, plenam eisdem admissorum veniam proponens, ad Ecclesiae praescripta lucrandam. Atque in divinorum munerum auspicium itemque in paternae voluntatis Nostrae signum, tibi, dilecte fili Noster, Rectori magnifico ceterisque de senatu viris, doctoribus decurialibus et alumnis, iisque omnibus qui sollemnibus intererunt, apostolicam benedictionem effuso animo impertimus.

Datum Romae apud Sanctum Petrum, die XXIV mensis Iunii anno MDCCCCXXVII, Pontificatus Nostri sexto.

PIUS PP. XI

II

AD EMUM P. D. PATRICIUM TIT. S. MARIAE DE PACE S. R. E. PRESB. CARDINALEM O'DONNELL, ARCHIEPISCOPUM ARMACHANUM, QUEM LEGATUM SUUM ELIGIT AD CONCILIUM PLENARIUM EX TOTA HIBERNIA.

PIUS PP. XI

Dilecte fili Noster, salutem et apostolicam benedictionem. — Cum valde sollicitudine et cura urgeamur omnium Ecclesiarum, nihil magis, ut par est, Nos delectat quam quidquid religiose sancteque dioecesibus singulis prodesse potest. Pergratus igitur Nobis nuntius accidit Concilium ex tota Hibernia proxime celebratum iri, magno quidem Episcoporum studio atque consensu. Ac certe laude digna omnino est ista Pastorum concordia in utilitatibus cleri populique provehendis; cum enim voluntatem parendi Apostolicae Sedi, tum sollertiam ostendit dioecesanas leges ad normam illius Codicis iuris canonici accommodandi, qui haud ita pridem a decessore Nostro f. r. Benedicto XV promulgatus est. Siquidem satis est experiendo compertum quantum valeant huiusmodi coetus, collatis quidem consiliis, ad abusus, si qui irrepserint, tollendos, ad disciplinam sacram firmandam, ad christianos spiritus late in populo refovendos; ita ut ad vestrarum dioecesium vires quodammodo reficiendas optimam vos rationem inire videamini Plenarium istud Concilium indicendo. Quamobrem, cum de opere tam frugifero agatur, libentes Nos, dilecte fili Noster, optatis tuorum satisfacientes, te his Litteris eligimus qui, Nostram gerens personam, nomine et auctoritate Nostra Plenariae Synodo praesis eandemque modereris; id enixe precantes ut congregatis ob rem tanti ponderis Spiritus Sanctus sapientiae suae lumine et mentes vestras collustret et studia exacuat ad ea quae sciveritis diligenter exsequenda. Quorum caelestium auspex munerum ac paternae benevolentiae Nostrae testis apostolica sit benedictio, quam tibi, dilecte fili Noster, tuis in episcopatu conlegis iisque omnibus qui coetibus intererunt, effuso animo impertimus.

Datum Romae apud Sanctum Petrum, die XVII mensis Iulii anno MDCCCCXXVII, Pontificatus Nostri sexto.

PIUS PP. XI

III

AD EMUM P. D. PETRUM TIT. BASILICAE XII APOSTOLORUM S. R. E. PRESB. CARDINALEM LA FONTAINE PATRIARCHAM VENETIARUM: DE SANCTO ROCHO SAECULO EXEUNTE SEXTO AB EIUS NATALI CELEBRANDO.

PIUS PP. XI

Dilecte fili Noster, salutem et apostolicam benedictionem. — Numquam sane in Ecclesia sancta viri fortissimi defuere qui, calamitatibus saevientibus, divina quadam virtute praediti, imprimisque caritate Christi flagrantes, quasi hostias Deo pro salute omnium immolandos se praebuerunt. Hos inter egregium plane locum obtinet Sanctus Rochus, qui, in Monte Pessulano natus, ex Gallia in Italiam veniens cum varias eius provincias dira pestis grassaretur, mirandum in modum hoc morbo aegrotantibus opitulatus est, animam suam pro fratribus ponere paratissimus. Atque in pluribus quidem Italiae urbibus oppidisque, uti Aculae et Caesenae, Parmae et Placentiae inque Roma ipsa, certa exstant monumenta quae mirificas tanti viri res gestas testificantur: is enim perhibetur peculiari quadam cum signo crucis formula ad salutem peste infectos statim restituere solitus esse. Itaque mirum non est si, postquam in ipso aetatis flore, velut caritatis victima, Rochus sanctissime obiit, incredibiliter eius fama longius latiusque propagata sit; idque ex quo praesertim pestilentia illa teterrima Constantiae ilico restincta est, peractis quidem, ipsorum Concilii Patrum iussu, in S. Rochi honorem publicis supplicationibus. Quapropter factum est ut plurimae sane sodalitates, ab eius nomine nuncupatae, ubique gentium constituerentur, quae cum Patroni cultum proveherent, tum, ipsius exempla imitantes, proximorum procurandae saluti impensam operam darent. Iamvero, dilecte fili Noster, urbs ista, honoris tui sedes amplissima, nulli sane cedere visa est, saeculorum decursu, in sancto viro colendo; Venetiae enim, ob multa ipsarum cum maritimis populis commercia necessitudinesque, facilius olim ac saepius letali lue affligebantur. Atque omnes norunt quo religionis studio magna Venetiarum respublica caelestem suum Patronum venerari consueverit, non modo Sodalitatem, et civium omnis ordinis numero et multiplici beneficentia semper praestantem, haud ita multo post sanctissimi viri obitum condendo, sed etiam insigne templum aedificando in quo sacrae eius exuviae decore servarentur: nec est silentio praetereundum praecellens illud opus, *Schola S. Rochi* appellatum, quod tamquam domicilium bonarum artium

splendidissimum ab omnibus habetur. Merito igitur, dilecte fili Noster, VI exeunte saeculo ex quo vir sanctus in caelum evolavit, archisodalitas ista sollemniter admodum, uti affertur, eventum tam faustum celebrandum curabit; consentaneum enim est ut Venetiae imprimis, quae toties a diro morbo mirifice sunt liberatae, singulares sane grates honoresque, ex instituto maiorum, Patrono inclito tribuant. Nos vero qui probe novimus quantopere conferant sacrae huiusmodi commemorationes ad fidem ac pietatem in populo excitandas, laeti equidem in partem saecularium istorum sollemnium venimus; id enixe precantes ut S. Rochus, qui tantum apud Deum valet, non modo letalem morbum sed etiam vitiorum errorumque luem, quae quidem est longe funestior, a christiano populo avertat. Atque ad augendum faustae rei fructum splendoremque, libenter tibi damus ut eis qui caeremoniis sacris aderunt, nomine Nostro benedicas plenam eisdem admissorum veniam proponens ad Ecclesiae praescripta lucrandam. Interea, divinorum auspicem munerum itemque paternae benevolentiae Nostrae testem esse volumus apostolicam benedictionem, quam tibi, dilecte fili Noster, archisodalitatis moderatoribus singulisque sociis, universo tuo clero ac populo amantissime in Domino impertimus.

Datum Romae apud Sanctum Petrum, die XXVIII mensis Iulii anno MDCCCCXXVII, Pontificatus Nostri sexto.

PIUS PP. XI

IV

AD R. P. D. FRANCISCUM OROZCO Y JIMENEZ, ARCHIEPISCOPUM DE GUADALAXARA, QUINTO ET VICESIMO EPISCOPATUS EIUS ANNO EXEUNTE.

PIUS PP. XI

Venerabilis frater, salutem et apostolicam benedictionem. — Mexicani alumni ex Collegio Pio Americano vehementer petunt ut, anno exeunte episcopatus tui quinto et vicesimo, aliquo benevolentiae signo te Nos prosequamur. Libenter equidem id facimus per has litteras; non modo ut ipsorum optatis faveamus – placet enim hoc adulescentis cleri erga te studium eo quod discipulus antea fuisti Instituti eiusdem – sed etiam ut de re fausta paterno animo ultroque tibi gratulemur. Siquidem compertum habemus quam sollerter in duabus dioecesibus, deinceps tibi creditis, pastoralia munia obieris. Quod enim ad Chiapensem Ecclesiam pertinet, inter alia id tibi ducitur laudi indigenarum tribus, *Chamulas*

nuncupatas, ad christianum civilemque cultum te reduxisse; in Guadalaxarensi autem archidioecesi multa ad Dei gloriam animarumque salutem egregie gessisse, tum pueros christiana sapientia imbuendo, tum gymnasia ac liberalium artium instituta condendo, tum denique clero rite sancteque conformando. Nec minus elaborasse te novimus in sociali actione catholicorum, quam vocant, provehenda, plurimis quidem consociationibus ad hanc rem constitutis; simulque sacra Ecclesiae iura tam strenue tueri consuevisse ut in te praecipue, in praesens ut antea, improborum hominum odia exarserint. Quoniam igitur hae Nostrae litterae tibi, venerabilis frater, in media ipsa vexatione pugnanti pro Dei Ecclesia reddentur, *confortare in gratia quae est in Christo Iesu;* is enim unus *potest consolari nos in omni tribulatione nostra.* Nos vero, una cum christiano populo universo, rogare Deum non cessabimus ut quantocius libertatem pacemque Mexicanae Ecclesiae tam acriter oppugnatae tandem concedere benigne velit. Interea, voluntatem erga te Nostram testandi causa, Adstatorem ad Pontificium Solium te laeti eligimus, praecipientes ut usitatae Litterae in forma *Brevis* ad te mittantur. Ac caelestium conciliatrix munerum apostolica sit benedictio, quam tibi, venerabilis frater, cunctoque tuo clero ac populo amantissime in Domino impertimus.

Datum Romae apud Sanctum Petrum, die XXVIII mensis Iulii anno MDCCCCXXVII, Pontificatus Nostri sexto.

PIUS PP. XI

V

AD EMUM P. D. EUGENIUM TIT. S. MARTINI IN MONTIBUS S. R. E. PRESB. CARD. TOSI ARCHIEPISCOPUM MEDIOLANENSEM, CETEROSQUE INSUBRIAE EPISCOPOS: OBSEQUIOSIS LITTERIS RESPONDET EX COMMUNI CONVENTU RHAUDENSI DATIS.

PIUS PP. XI

Dilecte fili et venerabiles fratres, salutem et apostolicam benedictionem. — Ex conventu Rhaudi nuper habito convolasse vos ad Vicarium Iesu Christi cogitatione et animo, id fuit pietate et fide vestra omnino dignum; per litteras enim inde coniunctim datas, non modo Nos de Sinensibus et Mexicanis rebus consolari nisi estis, sed etiam de laetis pastoralis sollertiae vestrae coeptis certiores fecistis. Itaque libentes didicimus hoc imprimis vobis esse curae ut recte iuventutem instituatis; illius effati memores S. Ioannis Chrysostomi: *Quid autem maius quam adulescentu-*

lorum fingere mores? Quam curam in praesens maxime, si numquam alias, urgeri oportet, dum tot tantisque videmus periculis circumveniri adulescentiam. Quamobrem egregie vos, aptis conditis consociationibus, magno opere elaboratis ut iuvenilis aetas, spes quidem melioris aevi, cum a christiana doctrina rite instruatur, tum per Sacrae Synaxis frequentiam, omni virtutum laude succrescat. Nec minus studium vestrum probamus in illa cohibenda mulierum vestiendi ratione, quae ad pravitatem morum augendam tantopere confert, quaeque tam impie in sacris aedibus ipsi Dei Maiestati adversatur. Siquidem, etsi conamur Nos quantum possumus, arguentes, obsecrantes, increpantes in omni patientia et doctrina; tamen vix aliquid perfecturi sumus, nisi Episcopi, fratres Nostri, quae Nos docemus doceant, quae monemus moneant, quae hortamur ac praecipimus sancte a fidelibus exigant. Ne cessetis igitur efficere ut clerus populusque cuique vestrum commissus optatis Nostris respondeat, sitque Nobiscum arcte coniunctus. Quae quidem coniunctio arctior certe fiet cum, novo Insubriae Seminario in alma has Urbe confecto, frequentior adulescens clerus, sub ipsis Romanorum Pontificum oculis, religiose instituetur. Qua spe laeti, in caelestium munerum auspicium itemque in paternae benevolentiae Nostrae signum, vobis, dilecte fili Noster et venerabiles fratres, universoque clero ac populo unicuique vestrum concredito, apostolicam benedictionem peramanter in Domino impertimus.

Datum Romae apud Sanctum Petrum, die XXIX mensis Iulii, in festo Apostolorum Principum, anno MDCCCCXXVII, Pontificatus Nostri sexto.

PIUS PP. XI

VI

AD R. P. PETRUM DE MARIA, ARCHIEPISCOPUM TIT. ICONIENSEM EUMDEMQUE IN HELVETIA NUNTIUM APOSTOLICUM, QUEM LEGATUM SUUM MITTIT AD CONGRESSUM EUCHARISTICUM EINSIDLENSEM EX TOTA HELVETIA.

PIUS PP. XI

Venerabilis frater, salutem et apostolicam benedictionem. — Cum Eucharistiam sanctissimam Iesus Dominus iam moriturus instituisset ut cum hominibus semper mirandum in modum coniungeretur eisdemque uberiores redemptionis suae fructus offerret, idcirco perpetuum fuit Ecclesiae sanctae studium fideles cohortandi ut Sacramentum augustum quasi religionis ac pietatis centrum haberent, omnisque honoris splendore pro-

sequerentur. Ita non sine Dei nutu proximis hisce annis mos est invectus per catholicum orbem eucharisticos agendi conventus, quibus animi ad amorem et obsequium erga altaris Mysterium renovari videntur. Quod quidem in spem Nos erigit temporum rerumque meliorum: testis enim historia est christianam vitam eo magis vulgo florere quo sit Eucharistiae cultus impensior; ex contrario autem, si caelestem panem negligant homines, sensim vigorem languescere christianae professionis. Libenter igitur a Curiensi Episcopo, nomine quidem ceterorum Helvetiae Antistitum, didicimus Congressum Eucharisticum mox in Einsidlensi coenobio celebratum iri, omnesque a Nobis petere ut, in occasione tam fausta, ipsum Helvetiae Nuntium Apostolicum delegemus qui, personam Nostram gerens, nomine et auctoritate Nostra coetibus praesideat caeremoniisque sacris intersit. Id Legati Nostri munus ultro sane tibi, venerabilis frater, deferimus per has litteras, non modo quia pro certo habemus te digne admodum, pro tua pietate dignitatisque amplitudine, honestissimum hoc mandatum exsecuturum esse, sed etiam ut optatis foveamus catholicorum Helvetiorum qui tam pie studioseque Apostolicam hanc Sedem colere consueverunt. Sollertia perspecta Episcoporum, itemque Benedictinorum Sodalium ex Einsidlensi familia, iam nunc portendi potest et percelebrem omnino conventum fore et optatos inde fructus perceptum iri. Quo igitur augustior res fiat, facultatem tibi damus ut adstantibus nomine Nostro benedicas, plenam eisdem admissorum veniam proponens, usitatis Ecclesiae conditionibus lucrandam. Interea, caelestium donorum auspex Nostraeque benevolentiae testis apostolica sit benedictio, quam tibi, venerabilis frater, singulis Helvetiae Episcopis et Einsidlensibus Patribus, iisque omnibus qui Congressioni intererunt, effuso animo impertimus.

Datum Romae apud Sanctum Petrum, die x mensis Augusti anno MDCCCCXXVII, Pontificatus Nostri sexto.

PIUS PP. XI

ACTA SS. CONGREGATIONUM

SACRA CONGREGATIO CONSISTORIALIS

PROVISIO ECCLESIARUM

Ssmus Dñus Noster Pius divina Providentia Pp. XI, decretis Sacrae Congregationis Consistorialis, has quae sequuntur Ecclesias de proprio singulas Pastore providit, nimirum:

10 Augusti 1927. — Cathedrali Ecclesiae Sancti Severini, cui adnexa est Administratio perpetua dioecesis Treiensis, praefecit R. P. D. Vincentium Migliorelli, hactenus Episcopum Nursinum.

26 Augusti. — Cathedrali Ecclesiae Oppidensi, R. P. D. Iosephum Antonium Caruso, hactenus Episcopum Cariatensem.

SACRA CONGREGATIO DE RELIGIOSIS

APPROBATIONES

Ssmus Dñus Noster Pius divina Providentia Pp. XI, decretis Sacrae Congregationis de Religiosis:

8 Iulii 1927. — Institutum religiosum Sororum, vulgo *Orsoline di Somasca* nuncupatum, cuius domus princeps sita est in dioecesi Bergomensi, *approbavit, itemque eius Constitutiones, experimenti gratia, ad septennium;*

— Instituti religiosi Sororum, vulgo *Siervas de Jesús* nuncupati, cuius domus princeps sita est in dioecesi Victoriensi in Hispania, *Constitutiones approbavit, experimenti gratia, ad septennium;*

1 Augusti. — Congregationis religiosae Sororum a *Nostra Domina de Mercede* nuncupatae, cuius domus princeps sita est in dioecesi Barcinonensi, *Constitutiones definitive approbavit;*

— Instituti *Sororum Charitatis B. M. V.*, cuius domus princeps sita est in archidioecesi Dubuquensi, *Constitutiones definitive approbavit;*

— Sodalitatem Sacerdotum Operariorum Dioecesanorum Cordis Iesu, cuius domus princeps sita est in dioecesi Derthusensi, *approbavit, itemque eius Constitutiones, experimenti gratia, ad septennium.*

SACRA CONGREGATIO RITUUM

I

NAMURCEN.

CONFIRMATIONIS CULTUS AB IMMEMORABILI TEMPORE PRAESTITI SERVO DEI HUGONI FOSSENSI, ORDINIS PRAEMONSTRATENSIS ABBATI, BEATO NUNCUPATO.

SUPER DUBIO

An sententia lata a Iudicibus deputatis ab Illmo ac Rmo Dño Episcopo Namurcensi super cultu ab immemorabili tempore praestito Servo Dei Hugoni Fossensi, Abbati Ordinis Praemonstratensis, seu super casu excepto a decretis sa. me. Urbani Papae VIII, sit confirmanda in casu et ad effectum de quo agitur.

Hugo, a loco nativitatis de *Fosses*, dioecesis tunc Leodiensis nunc Namurcensis, Fossensis nuncupatus, a parentibus pietate et censu conspicuis ortus est. Adolescens utroque parente orbatus in Fossensi sanctorum Foillani et Ultani monasterio, religione et litteris instructus, adscribi meruit in domum et familiam Cameracensis Episcopi Burchardi, qui anno 1119 Valencenas in Hannonia iter habens S. Norbertum sibi notissimum et veterem amicum ibi praedicantem invenit, eumque impolita forma et poenitentium specie se exhibentem benignissime salutavit, et Norbertum exclamavit. Hisce familiariter lingua teutonica colloquentibus adstans Hugo, Episcopi socius, ea lingua ignarus et illis exquisitis amicitiae signis commotus, causam quaerens ab ipso Episcopo, audit de amico Norberto eum dicentem: « Iste quem sic vides, in aula Regis mecum pariter nutritus est; homo nobilis et divitiis affluens in tantum ut episcopatum meum, cum ei offerretur, renueret ». Tunc Hugo magis magisque admiratus et lacrymans sensit se in sanctum virum aestimatione et amore ita attractum et raptum ut eius piam sanctamque conversationem exoptaret. Quod brevi post tempore opportuno accidit, siquidem Norbertus Hugonem hanc gratiam postulantem libentissime excepit, et mense Iunio an. 1119 Dei famulus in aetate viginti sex circiter annorum, suis rebus pro suo arbitrio dispositis, in disciplinam scientiamque S. Norberti, institutoris Praemonstratensium, se tradidit, et sancti Viri exstitit primus disci-

pulus, vicarius, itinerum ac laborum socius et in regimine Ordinis Abbas et successor. In actis processus narratur quod prospiciente S. Norberto cum primis suis discipulis locum sibi a beata Virgine Maria *praemonstratum* in quo et a quo ecclesia et Ordo canonicorum originem et nomen sumere deberet, locum quidem incultum et asperum fratribus non benevisum, Hugoni oblata visio Christi Crucifixi ad rem aptum et debitum confirmavit. Contradicentem et adversantem daemoniorum turbam sub forma et specie militiae armis instructae Hugo, absente Norberto, et eius vices gerens aqua benedicta et sanctae crucis signo repulit ac fugavit. Isti tamen hostes devicti novis insidiis fratres aggredi conati sunt, absque successu. Tunc unus ex illis fortior, ad vesperas quemdam iuvenem fratris conversi filium invadit et torquet crudeliter. Hugo, convocatis fratribus exorcismum aggressus est; cumque daemoniacus puer a circumstantibus teneri non posset, religiosus clericus in virtute sanctae obedientiae sibi ab Hugone impositae, eum coercuit et solus tenuit, et tunc Dei famulus, fratribus orationi et disciplinae insistentibus, adhibitis sanctae Ecclesiae precibus et auctoritate, iuvenem a daemonis obsessione liberavit. Ita locus a quavis nova malignorum spirituum infestatione vindicatus et incolumis, ecclesiae Praemonstratensis adnexique coenobii aedificationi praestitutus, Deo iuvante et Beata Virgine protegente, opere et labore absolutus, canonicorum regularium Praemonstratensium fixa sedes et domus princeps, tanquam excelsum candelabrum ardens et lucens apparuit, stetit atque refulsit. S. Norberto ad archiepiscopatum Magdeburgensem promoto, post biennium, ipso annuente, Hugo eius Vicarius, a canonicis Praemonstratensis ecclesiae unanimi suffragio in Abbatem eiusdem ecclesiae et Praepositum generalem Ordinis electus est, et a Bartholomaeo Laudunensi Episcopo confirmatus et benedictus in gravi et diuturno suo munere sancti fundatoris vestigia et documenta sectandi nunquam defuit. Sub eius regimine ultra centum monasteria in variis nationibus erecta sunt, et plures fratres et sorores rite in Ordinem cooptati, ad ea destinati, vita contemplativa cum activa perbelle coniuncta, spirituali suae perfectioni et animarum saluti studiose et continuo prospexerunt. Eximium Praemonstratense Institutum fratrum et sororum numero et praestantia ita auctum et amplificatum a Summis Pontificibus summa laude, copiosis privilegiis et generosis donationibus honestari meruit. Accesserunt quoque possessiones et dona per Ludovicum Crassum et Ludovicum septimum Gallorum reges munificentissime conlata. Denique Dei famulus Hugo apostolicis laboribus fractus, pietatis operibus et vitae sanctitate adornatus; quum ecclesiam Praemonstratensem et Ordinem triginta quinque annis prudenti et sapienti ratione rexisset, ad extremum

vitae finem deductus fratres ad caritatem vitamque communem vehementer cohortatus migravit ad Dominum die decima Februarii anno salutis 1164, sepultusque est in ecclesia Praemonstratensi ante altare S. Andreae Apostoli. Anno 1279 eius corpus, suavissimum olens odorem recognitum et elatum sub Aegidio Praemonstratensi Abbate vigesimo primo, conditum est ante altare maius eiusdem ecclesiae, apposita nobili inscriptione marmorea; donec anno 1660 rursus exhumatum et recognitum in honoratiore loco, de licentia Episcopi, depositum est.

Cultum ab immemorabili tempore praestitum Dei famulo, quamvis ante aeram Urbanianam una cum fama sanctitatis exsisteret, prouti eruitur ex *Vita Norberti* ab auctoribus contemporaneis conscripta et in Processum compulsata, et ex *Analectis Ordinis Praemonstratensis* quae necrologium Abbatum Praemonstratensium referunt, tamen, perdurante aera praedicta et post ipsam ad haec usque tempora, constanter viguisse et vigere comprobatur. Multa enim signa et argumenta praestiti cultus et venerationis in Hugonem proferuntur, ex gr. titulus Beati vel Sancti, imagines ac picturae nimbo circumfusae et expositio reliquiarum in ecclesiis et oratoriis, eius nomen a fratribus assumptum in receptione habitus Ordinis et Martyrologiis Ordinis inscriptum, et in Litaniis Sanctorum Ordinis Praemonstratensis invocatum; demum exhumatio, recognitio, translatio et elevatio exuviarum, ecclesiastica auctoritate interveniente. Corpus Servi Dei quod anno millesimo nongentesimo decimo in arca sacrarii Cathedralis Laudunensis detinebatur, paulo ante immane bellum europaeum, de mandato Episcopi Suessionensis et Laudunensis iterum delatum fuit in sacrarium ecclesiae *de Brancourt et Bassoles* et in capsa sigillis obsignata reconditum. Sed quum ecclesia incendio consumpta fuerit cum sacrario et nondum reaedificata, ipsum corpus sub ruinis mansit, quod tamen postea cura hodierni Episcopi Namurcensis Thomae Heylen conquisitum et illaesum repertum, ab eodem caute et religiose custoditur usque ad confirmationem Apostolicam cultus immemorialis eiusdem Servi Dei. — Interim quum Processus Informativus super cultu immemoriali Servi Dei seu casu excepto ante annum 1912 in Curia Namurcensi fuerit inchoatus, et indulta per decretum S. R. C. diei 26 Maii 1920 Apostolica dispensatione a nova procedendi ratione in causis Servorum Dei per viam cultus seu casus excepti ad normam Cod. iur. can., lib. IV, tit. XXV, ut haec causa absolveretur iuxta veterem iuris ordinem, iudices deputati a Rmo Episcopo Namurcensi, visis omnibus Processus actis cunctisque consideratis, sententiam tulerunt: « Constare de cultu publico et ecclesiastico et immemoriali, nunquam interrupto et feliciter continuato ac praestito Servo Dei Hugoni de Fosses Abbati Praemonstratensi ». Cunctis

Inquisitionis actis cum subsequenti sententia expletis et ad Sacram Rituum Congregationem deductis, quum, servato vetere iure in causa praescripto, nihil obstet quominus ad ultiora procedi valeat, instante Rmo Abbate Huberto Noots, Ordinis Praemonstratensis procuratore generali et huius Causae postulatore, fervida quoque Rmorum Episcoporum Namurcen., Suessionen. et Laudunensis atque universi Praemonstratensis Ordinis vota depromente, Emus et Rmus Dnus Ianuarius Cardinalis Granito Pignatelli di Belmonte, Episcopus Albanensis et eiusdem causae Relator, in Ordinariis sacrorum rituum Congregationis comitiis subsignata die ad vaticanas aedes coadunatis sequens dubium discutiendum proposuit « An sententia lata a iudicibus deputatis ab Illmo et Rmo Domino Episcopo Namurcensi super cultu ab immemorabili tempore praestito Servo Dei Hugoni Fossensi, Abbati Ordinis Praemonstratensis, seu super casu excepto a decretis sa. me. Urbani VIII, sit confirmanda in casu et ad effectum de quo agitur? » Et Emi ac Rmi Patres sacris tuendis ritibus praepositi, post relationem ipsius Emi Ponentis, audito voce et scripto R. P. D. Carolo Salotti, Fidei promotore generali, omnibus discussis et accurate perpensis, rescribere censuerunt: « Affirmative seu confirmandam esse sententiam latam a Iudicibus a Rmo Episcopo Namurcensi delegatis, in casu et ad effectum de quo agitur ». Die 5 Iulii 1927.

Facta postmodum de his omnibus Sanctissimo Domino nostro Pio Papae XI per infrascriptum Cardinalem Sacrae Ritum Congregationis Praefectum relatione, Sanctitas Sua rescriptum ipsius Sacrae Rituum Congregationis ratum habuit et confirmavit. Die 13 Iulii 1927.

✠ A. Card. Vico, Ep. Portuen. et S. Rufinae,
S. R. C. Praefectus.

L. ✠ S.

Angelus Mariani, *Secretarius.*

II

CALARITANA

CANONIZATIONIS BEATI SALVATORIS AB HORTA, LAICI PROFESSI ORDINIS FRATRUM MINORUM.

SUPER DUBIO

« An constet de virtutibus in gradu heroico praedicti Beati, ut procedi possit ad discussionem miraculorum, in casu et ad effectum de quo agitur? »

In oppido *Santa Columba de Farnes*, Gerundensis dioecesis et principatus Cataluniae, circa an. 1520 humili genere natus et in ecclesia parochiali baptizatus est infans, nomine Salvator. Postea signo crucis et chrismate confirmatus et Ssmae Eucharistiae sacramento primum refectus, piorum parentum cura et christiana educatione, bonam et rectam fidei et morum viam ingreditur. Pubes in hospitio pauperum et aegrotorum, ob suam probitatem et religionem, uti famulus assumitur: unde vocabatur Salvator de Hospitali et ipse conterraneis suis dicebat: « Ego sum ille Salvator filius xenodochii vestri ». Parentibus orbatus pascendo gregi addicitur, dein cum sorore Barcinonem adductus aliquot annos artem sutoriam exercuit. Sorore honesto viro nupta, ipse solus relictus, religiosum statum excogitare coepit, et, humanis rebus mundique illecebris contemptis, Franciscalem familiam selegit. Adolescens viginti annorum in S. Mariae coenobio Barcinonensi, perfectae observantiae, a superioribus cooptatus, et in auxilium coqui laboriosus adiutor et humilis socius datus est, ut specimen suae diligentiae et obedientiae praeberet. Traditur quod dum Salvator erat extra culinam clausam cuius servabat claves, dein aperto ostio inventum est lautum prandium exquisitis cibis praeparatum pro religiosis et convivis invitatis. Erat dies festus Circumcisionis Domini, et primum miraculum ipsi tributum et a Deo patratum, aliorum seu angelorum ministerio Salvatoris officium mire supplente. Illic tirocinio rite absoluto, solemnia vota emisit. Ad conventum S. Mariae de Iesu, civitatis Derthusensis missus, virtutibus et prodigiis famam sanctitatis adeptus est; sed confratres, ob fidelium ad eum confluentium frequentiam taedio affecti, a Praeside provinciali obtinuerunt, ut Dei famulus transferretur ad montanum coenobium B. Mariae Virginis, Hortanae nuncupatae a proximo pago Horta, a quo ipse cognominatus est: Salvator ab Horta. In eo loco diutius moratus, inter officii sui munia peragenda, in Deum et in caelestia mentem et cor suum intendebat. Sibi austerus, aliis comis et affabilis, magnae puritatis et simplicitatis Vir a Deo

meruit gratiam recipere patrandi miracula, praecipue sanandi infirmos et sublevandi pauperes et egenos. – Ne turba fidelium qui illum quaerebant et videre optabant, pacem et quietem coenobii et habitantium turbaret, praepositus provincialis ei nomen Salvatorem in Alphonsum mutavit. Unde in nonnullis Ordinis chronicis ex. gr. in opere *De origine Seraphicae Religionis*, auctore Ven. Francisco Gonzaga, Episcopo Mantuano, Dei famulus nominatur Alphonsus. Attamen temporanea mutatio nominis insufficiens fuit ad imminuendum populi concursum. Quare idem Provincialis primum in monasterium Reussense, postea in alterum Barcinonense Salvatorem remittere debuit, donec Commissarius a praeside universi ordinis deputatus et in Sardiniam missus, Dei Famulum libenter annuentem secum duxit et Calarim principem Insulae urbem appulit an. 1565. Sed quum adventus Servi Dei notitia eiusque sanctitatis et miraculorum fama praecessissent, tota civitas Calaritana illi obviam prodivit, eumque inter festivos plausus et laetitiae significationes excepit. Eius mora, praesentia, virtutes et prodigia longe superarunt civium exspectationem, prouti ex Processu Calaritano et summario facile deducitur. Tandem quum brevi et mortifera infirmitate correptus in lecto decumberet, Calaritanus Archiepiscopus, clerus universus, una cum Pro-Rege et nobilibus viris, eum visitarunt, benedictionem petentes et accepturi. Ad extrema adductus, Sacramentis piissime susceptis, spiritum suum in manus Domini commmendans placide obdormivit, die decima octava mensis Martii anni 1567 in aetate septem et quadraginta annorum. Tanquam alter a S. Vincentio Ferreri Hispaniae thaumaturgus in vita et post obitum habitus est, eiusque exuviae incredibili populi concursu in coenobio et in templo, sacris ibi ritibus expletis honestatae, humi conditae sunt in sacello S. Francisci, et sesquianno integrae et tractabiles repertae, elatae primum in sacello S. Petri dein in alio a Pro-Rege D. Antonio Colonna magnifice et apposite exstructo collocatae sunt, continuo ibidem appensis donis et exvotis pro gratiis et prodigiis acceptis et in ferventis pietatis sacrique cultus significationem. — Anno 1586 Ven. Franciscus Gonzaga, Episcopus Mantuanus, fama Servi Dei in dies crebrescente, de eius sanctitate, virtutibus et miraculis informationes exaravit, et Xysto V humillime subiecit, easque Summus Pontifex ratas habuit et probavit per litteras Apostolicas « *Cum, sicut exposuit* » sub annulo Piscatoris, datas Romae apud S. Marcum die 3 Septembris 1586. — Anno autem 1600 et sequentibus Inquisitiones Ordinariae Informativae super huiusmodi Causa B. Salvatoris ab Horta in Sardinia et Hispania rite peractae, una cum obsequentissimis litteris Regis Catholici Hispaniae Philippi III postulantibus Fr. Salvatoris ab Horta canonizationem, oblatae sunt Summo Pontifici Paulo V. Qui ea vota et preces

libenti animo excipiens, cuncta Acta Sacrae Rituum Congregationi pro studio et iudicio benigne remisit. Responsum a Sacra Rituum Congregatione fuit: « Differatur canonizatio. Quia alii plures et antiquiores sunt in Congregatione praesentati, pro quorum canonizatione facti fuere Processus, informationes, diligentiae, testificationes et alia plura. Verum quod interim D. Salvator ab Horta cum titulo et miraculis imprimatur, publiceque portetur ad maiorem Fidelium consolationem. Die 5 Februarii 1606 ». Ita cultum quem populus pietate et grato animo ductus, Beato tribuebat, Sacra Congregatio tanquam legitimum in casu permisit. Attamen Emo Cardinali Fabrasco in sacrorum rituum Congregatione ordinaria proponente dubio: « An sententia Emi et Rmi Dni Cardinalis Vicarii de Urbe super casu excepto a decretis fel. record. Urbani Papae VIII lata, sit confirmanda in casu et ad effectum, de quo agitur, Sacra eadem Congregatio respondendum censuit, *Affirmative* die 13 Septembris 1710, et decretum *Calaritana* de Beato Salvatore ab Horta *super casu excepto* edidit, approbante Summo Pontifice Clemente XI die 29 Ianuarii anni 1711, prout integre legitur in opere Benedicti XIV *De Servorum Dei Beatificatione* etc., lib. II, cap. XXIV, § 32, ubi etiam citantur auctores qui de Beato Salvatore ab Horta scripserunt: inter ceteros Dimas Serpi, Prior provincialis O. M. in *vita* etiam edita a Bollandianis ad diem 18 Martii, tom. 2.; Ven. Franciscus Gonzaga, in *De origine Seraphicae Religionis*, part. I.; *Menologium Franciscanum Fortunati*, etc.

Quum vero post Responsum S. R. C. diei 5 Februarii 1606, litteris Remissorialibus expeditis super virtutibus et miraculis in specie et confectis Processibus Apostolicis eisque ad ipsam S. Congregationem delatis, Rotae Romanae Auditores, iuxta morem, eorum validitaten examinaverint et approbaverint, mense Augusto 1633, et mense Novembri eiusdem anni *constare de virtutibus* responderunt, sicut mense Martii 1635 primum ex propositis miraculis ratum fecerunt, uti colligitur ex rescriptis Coccini unius ex deputatis Rotae auditoribus, manu propria notatis et in bibliotheca Collegii Romani de Urbe exsistentibus; tamen de his omnibus relatio nunquam exarata fuit (Bened. XIV, loc. cit.). Hisce expositis, instante Causae postulatore, Sacra Rituum Congregatio die 14 Decembris 1882 decretum edidit de reassumptione Causae *in statu et in terminis*, approbante Leone Papa XIII fel. rec.; et die 12 Februarii an. 1883 alterum decretum, eodem Summo Pontifice approbante, quo validitatem Processuum, indulta dispensatione a novo examine, ratam habuit et confirmavit. Itaque quum Sacra Rituum Congregatio decretum ediderit die 13 Aprilis an. 1885 ut dubium super heroicitate virtutum B. Salvatoris ab Horta in Ordinario ipsius Sacra Congregationis coetu expendatur,

instante hodierno Causae postulatore Adm. Rev. P. Antonio Maria Santarelli, fervida quoque Rmi P. Bonaventurae Marrani, Ministri generalis totiusque Ordinis Fratrum Minorum vota depromente, Emus ac Rmus Dñus Alexander Cardinalis Verde, eiusdem Causae Relator in Ordinariis sacrorum rituum Congregationis comitiis ad Vaticanas aedes coadunatis, sequens dubium discutiendum proposuit: « *An constet de virtutibus heroicis B. Salvatoris ab Horta, ut procedi possit ad discussionem miraculorum in casu et ad effectum de quo agitur?* » Et Emi ac Rmi Patres sacris tuendis ritibus praepositi, post relationem ipsius Emi Ponentis, audito voce et scripto R. P. D. Fidei Promotore generali Carolo Salotti, omnibus sedulo perpensis rescribendum censuerunt: « *Affirmative seu constare de virtutibus heroicis praefati Beati Salvatoris ab Horta, laici professi Ordinis Fratrum Minorum, in casu et ad effectum de quo agitur* ». Die 5 Iulii 1927.

Quibus omnibus Sanctissimo Domino nostro Pio Papae XI per infrascriptum Cardinalem Sacrae Rituum Congregationi Praefectum relatis, Sanctitas sua Rescriptum eiusdem sacrae Congregationis ratum habuit et confirmavit. Die 13 Iulii 1927.

✠ A. Card. Vico, Ep. Portuen. et S. Rufinae,
S. R. C. Praefectus.

L. ✠ S.

Angelus Mariani, *Secretarius.*

SACRA CONGREGATIO PRO ECCLESIA ORIENTALI

PROVISIO ECCLESIAE

Decreto S. Congregationis pro Ecclesia Orientali, dato die 25 Iulii 1927, Ssmus Dominus Noster Pius div. Prov. Pp. XI dignatus est confirmare electionem canonice factam chorepiscopi Iosephi Rabbani, hactenus Vicarii Patriarchalis Bethlemitani, in *Episcopum Hemesensem syrorum.*

ACTA TRIBUNALIUM

SACRA ROMANA ROTA

Citationes edictales

I

ADMIN. APOST. LUGANEN.

NULLITATIS MATRIMONII (FETTOLINI-VALERI)

Cum Petrina Valeri seu Patocchi, in causa conventa, locum novissimum suae commorationis (Luino, in dioecesi Mediolanensi) deseruerit et ignoretur ubi actu degat, eandem conventam citamus ad comparendum, sive per se, sive per Procuratorem legitime constitutum, in sede Tribunalis S. R. Rotae (Roma, via della Dataria, 94) die 5 Octobris 1927, hora 12 ad concordandum de dubio disputando, vel infrascripto subscribendum, et ad diem designandam qua habebitur Turnus rotalis pro causae definitione:

An constet de nullitate matrimonii in casu.

Ordinarii locorum, parochi, sacerdotes et fideles quicumque notitiam habentes de loco commorationis praedictae Petrinae Valeri seu Patocchi curare debent, ut de hac edictali citatione ipsa moneatur.*

L. ✠ S. M. Massimi, *Decanus*, *Ponens*.

Ex Cancellaria Tribunalis S. R. Rotae, die 10 Augusti 1927.

Ioannes Ladelci, *Notarius*.

* Etant inconnu le lieu de la demeure actuelle de Mme Pierette Valeri ou Patocchi (jadis à Luino, dans l'archidiocèse de Milan) défendéresse en cette cause, Nous la citons à comparaître, par propre personne ou par un procureur légitimement constitué, au siège du Tribunal de la S. Rote Romaine (Roma, Via della Dataria, n. 94), 5 Octobre 1927, à 12 heures, pour concorder ou souscrire le doute ci-dessous rapporté, et fixer le jour de la cause devant la Rote.

Conste-t-il de la nullité du mariage dans le cas présent?

Les Ordinaires des lieux, les curées, les prêtres, les fidèles ayant connaissance du lieu de résidence de la dite Mme Pierrette Valeri ou Patocchi devront, dans la mesure du possible, l'avertir de la présente citation.

II

COLONIEN.

NULLITATIS MATRIMONII (VERWEYEN–PLASS)

Cum ignoretur locus actualis commorationis Ernae Plass–Verweyen in causa conventae, eandem citamus ad comparendum, sive per se, sive per Procuratorem legitime constitutum, in sede Tribunalis S. R. Rotae (Roma, Via della Dataria, 94) die 15 Octobris 1927, hora 11, ad concordandum de dubio disputando, vel infrascripto subscribendum, et ad diem designandam qua habebitur Turnus rotalis pro causae definitione:

An constet de nullitate matrimonii in casu.

Ordinarii locorum, parochi, sacerdotes et fideles quicumque notitiam habentes de loco commorationis praedictae Ernae Plass-Verweyen curare debent, ut de hac edictali citatione ipsa moneatur. *

L. ✠ S. A. Jullien, *Ponens.*

Ex Cancellaria Tribunalis S. R. Rotae, die 10 Augusti 1927.

Ioannes Ladelci, *Notarius.*

* Etant inconnu le lieu de la demeure de Mme Erna Plass-Verweyen défenderesse en cette cause, Nous la citons à comparaître, par propre personne ou par un procureur légitimement constitué, au siège du Tribunal de la S. Rote Romaine (Roma, Via della Dataria, n. 94), 15 Octobre 1927, à 11 heures, pour concorder ou souscrire le doute ci-dessous rapporté, et fixer le jour de la cause devant la Rote.

Conste-t-il de la nullité du mariage dans ce cas?

Les Ordinaires des lieux, les curés, les prêtres, les fidèles ayant connaissance du lieu de la résidence de la dite Mme Erna Plass-Verweyen devront, dans la mesure du possible, l'avertir de la présente citation.

III

PADERBORNEN.

NULLITATIS MATRIMONII (NICKEL–KAHN)

Cum ignoretur locus actualis commorationis Richardi Kahn in causa conventi, eundem citamus ad comparendum, sive per se, sive per Procuratorem legitime constitutum in sede Tribunalis S. R. Rota (Roma, Via della Dataria, 94) die 25 Octobris 1927, hora 10, ad concordandum de dubio disputando, vel infrascripto subscribendum, et ad diem designandam qua habebitur Turnus rotalis pro causae definitione:

An constet de nullitate matrimonii in casu.

Ordinarii locorum, parochi, sacerdotes et fideles quicumque notitiam habentes de loco commorationis praedicti Richardi Kahn curare debent, ut de hac edictali citatione ipse moneatur. *

H. Quattrocolo, *Ponens.*

L. ✠ S.

Ex Cancellaria S. R. Rotae, die 10 Augusti 1927.

Ioannes Ladelci, *Notarius.*

* Etant inconnu le lieu de la demeure actuelle de M. Richard Kahn défendeur en cette cause, Nous le citons à comparaître, par propre personne ou par un procureur légitimement constitué, au siège du Tribunal de la S. Rote Romaine (Roma, Via della Dataria, n. 94), 25 Octobre 1927 à 10 heure, pour concorder ou souscrire le doute ci–dessous rapporté, et fixer le jour de la cause devant la Rote.

Conste-t-il de la nullité du mariage dans ce cas?

Les Ordinaires des lieux, les curés, les prêtres, les fidèles ayant connaissance du lieu de la résidence du dit M. Richard Kahn devront, dans la mesure du possible, l'avertir de la présente citation.

DIARIUM ROMANAE CURIAE

Domenica, 7 Agosto, la Santità di Nostro Signore riceveva in solenne udienza Sua Maestà FUAD I, Re dell' Egitto.

SACRA CONGREGAZIONE DEI RITI

Martedì, 2 Agosto 1927, presso l'Emo e Rmo Signor Cardinale Vincenzo Vannutelli, Ponente della Causa di Beatificazione e Canonizzazione della Ven. Serva di Dio Caterina Labouré, dell'Istituto delle Figlie della Carità, si è tenuta la Congregazione dei Sacri Riti *Antipreparatoria*, nella quale dai Rmi Prelati Officiali e dai Consultori teologi della medesima, si è discusso il dubbio sopra l'eroismo delle virtù esercitate dalla stessa Ven. Serva di Dio.

TRIBUNALE DELLA S. ROMANA ROTA

AVVISO

Le domande d'ammissione allo *Studio* della Rota, per il prossimo anno giuridico, si ricevono negli Uffici del Tribunale dal 20 Settembre al 20 Novembre.

12 Agosto 1927.

M. Massimi, *Decano*.

SEGRETERIA DI STATO

NOMINE

Con Biglietti della Segreteria di Stato, il Santo Padre Pio XI, felicemente regnante, si è degnato di nominare:

1 Agosto 1927. Gli Emi Signori Cardinali Pietro Gasparri, Giovanni Bonzano e Bonaventura Cerretti, *Membri della Commissione Cardinalizia per l'Opera «Praeservationis Fidei» in Roma.*

12 » » L'Emo Sig. Cardinale Lorenzo Lauri, *Membro della S. Congregazione dei Seminari e delle Università degli Studi.*

16 » » Il Rmo P. Luigi Bondini, dei Minori Conventuali, *Consultore della S. C. «pro Ecclesia Orientali».*

Con Breve Apostolico del 31 Luglio 1927, il Santo Padre Pio XI, felicemente regnante, si è degnato di nominare l'Emo e Revmo Sig. Cardinale Lorenzo Lauri, *Penitenziere Maggiore*.

NOTA: Per disposizione sovrana di Sua Santità, il Sacerdote Giuseppe Bellino, della diocesi di Conza, residente a Napoli, è stato radiato dal novero dei Prelati Domestici a cui era stato ascritto in data 31 Maggio 1918.

MAGGIORDOMATO DI SUA SANTITÀ

NOMINE

Con Biglietti di S. E. Rma Monsig. Maggiordomo, il Santo Padre Pio XI, felicemente regnante, si è degnato di nominare:

Camerieri Segreti Soprannumerari di S. S.:

23 Luglio 1927. Monsig. Adalberto Gajdatsy, della diocesi di Transilvania.
28 » » Monsig. Manuel Antonio Pacheco, dell'archid. di Caracas.
29 » » Monsig. Geza Vittore Boross, della diocesi di Munkács.
2 Agosto » Monsig. Paolo Penel, dell'archidiocesi di Lione.
» » » Monsig. Michele Barbarito, dell'archidiocesi di Catanzaro.
» » » Monsig. Francesco Comi, della medesima archidiocesi.

Cameriere d'onore in abito paonazzo di S. S.:

23 Luglio 1927. Monsig. Emanuele Antonio d'Avila, del vicariato apostolico di Goagira.

Cameriere d'onore extra urbem *di S. S.:*

8 Agosto 1927. Monsig. Adriano Morselli, dell'archidiocesi di Modena.

Cappellani segreti d'onore di S. S.:

2 Agosto 1927. Monsig. Carlo Jaross, dell'Amministrazione apostolica di Tirnava.
» » » Monsig. Paolo Machácek, della medesima Amministrazione apostolica.

NECROLOGIO

2 Aprile 1927. Monsig. Ottocaro Prohàska, Vescovo di Alba Reale.
17 Luglio » Monsig. Martino Uberto Rutten, Vescovo di Liegi.
1 Agosto » Monsig. Raimondo da Silva, Arciv. di Merida nel Venezuela.
4 » » Monsig. Settimio Quadraroli, Vescovo di Teramo.
18 » » Monsig. Primo Bianchi, Arcivescovo tit. di Cassiope.
23 » » Monsig. Giuseppe Lopez Leide de Faria, Vesc. di Bragança.
24 » » Monsig. Francesco Saverio Schœpfer, Vescovo di Tarbes e Lourdes.
25 » » Emo Sig. Card. ENRICO REIG Y CASANOVA, del titolo di S. Pietro in Montorio, Arcivescovo di Toledo.

ENCHIRIDION BIBLICUM

Documenta Ecclesiastica Sacram Scripturam Spectantia.

Auctoritate Pontificiae Commissionis de re Biblica Edita.

Romae L. 10 — In Italia L. 11 — Apud Exteros L. 13,50

Cum non facile praesto omnibus simulque sint documenta, quibus Ecclesia sive solemnioribus declarationibus sive ordinario magisterio, divinitus traditam de Libris sacris doctrinam exposuit et vindicavit, peropportune factum est ut praesenti *Enchiridio* eadem omnia ratione authentica colligerentur, aptoque ordine iuxta seriem temporis disponerentur, ac locupletissimo indice systematico instruerentur. Licet generatim in collectionem nonnisi ea documenta admissa sint qui a competenti auctoritate prodierunt, tamen pauca quaedam quorum origo in obscuro quidem est at antiquitate commendantur, ut Canon Muratorianus et Decretum Gelasianum, eidem collectioni adiecta sunt. Series documentorum uberrima ad n. 528 pertingit quamquam ex proposito excepta fuerint quae nonnisi indirecte doctrinam de sacris libris attingunt, utpote quae spectant v. g. ad studium linguarum, ad usum concionatorium, ad frequentandam lectionem SS. Scripturarum etc. En brevis conspectus praecipuarum vocum ex indice systematico: Agitur de Sacra Scriptura generatim: signanter de Canone – de Inspiratione – de Veritate absoluta ss. librorum – de Interpretatione – de Textibus et versionibus – de Historia exegeseos – de Pontificia Commissione Biblica – de Vulgatae correctione – de Instituto Biblico. Deinde, de singulis libris, partibus, commatibus, quidquid singillatim authentico magisterio propositum est, dilucide et plene indigitatur.

Paginarum vero typorumque externa ratio indoli « libri manualis » apprime respondet.

	Roma L.	Italia L.	Estero L.
Missa in Festo S. Teresiae a Iesu Infante Virginis (Die 3 Octobris) (Pro Universali Ecclesia; ex Decreto S. Rituum Congregationis, die 27 Iulii 1927). In-folio, 18×27, caracteribns rubro-nigris	0,60	0,70	0,85
— In-8°, 22,5×18, caracteribus nigris tantum	0,50	0,60	0,75
Officium S. Teresiae a Iesu Infante Virginis (Die 3 Octobris) (Pro Universali Ecclesia, ex Decreto S. Rituum Congreg., die 27 Iulii 1927). In-16°, pp. 4 charta indica, characteribus rubro et nigro	0,70	0,80	1 —
Catechismo della Dottrina Cristiana pubblicato per ordine di Sua Santità Pio Pp. X. Un vol. di pp. VIII-136 e copertina (gr. 96), ed. 1927 .	1 —	1,30	1,60
— **Primi elementi della Dottrina Cristiana** tratti dal Catechismo pubblicato per ordine di Sua Santità Pp. Pio X, pp. 48 e copertina (gr. 35)	0,35	0,45	0,55
— **Preghiere** per il Santo Sacrificio della Messa con le **Formole da recitarsi in comune** tratte dai [*Primi elementi della Dottrina Cristiana* pubblicati per ordine di Sua Santità Pio Pp. X, pp. 20. Copie cento (gr. 760)	15 —	16,50	18 —
Martyrologium Romanum, Gregorii XIII iussu editum, Urbani VIII et Clementis X auctoritate recognitum ac deinde anno MDCCXLIX Benedicti XIV opera ac studio emendatum et auctum. Prima post typicam editio propriis recentium Sanctorum officiorumque elogiis expleta, a Sanctissimo Domino Nostro Benedicto Pp. XV adprobata, SS. Rituum Congregationis curis impressa. – Editio in-8° min. (22×14), in charta optima et levicata et charactere rubro-nigro, pp. CXX-567 (gr. 1060)	20 —	23 —	26,50
Il Santo Vangelo e gli Atti degli Apostoli. Traduzione italiana illustrata con note. 501ª ristampa con l'aggiunta di un **Manuale di Preghiere.** Un vol. in-24°, di pp. XX-460-80*, adorno di moltissime artistiche incisioni e di 3 carte geografiche (gr. 225) (Publicazione della *Pia Società di S. Girolamo per la diffusione dei Santi Vangeli*) . .	2 —	2,50	3,50
Copie 12 in un pacco postale di 3 Kgr. . . . . L. 28 —			
» 21 » » » » 5 » . . . . . » 48 —			
» 42 » » » » 10 » . . . . . » 94 —			
— Rilegato in tela inglese con impressioni a secco (gr. 240)	3,25	3,75	4,75
Copie 10 in un pacco postale di 3 Kgr. . . . . L. 36,50			
» 19 » » » » 5 » . . . . . » 67,75			
» 38 » » » » 10 » . . . . . » 133,50			

Veneunt Romae apud Administrationem Commentarii Officialis **"Acta Apostolicae Sedis"** (*Libreria Vaticana - Vaticano – Roma*).

Nuperrime prodierunt:

	Roma L.	Italia L.	Estero L.
S. R. ROTAE DECISIONES seu sententiae quae prodierunt an. 1920, cura eiusdem S. Tribunalis editae. Vol. XII, in-8°, pp. IV-288	35 —	36,50	40 —
ORDO DIVINI OFFICII recitandi sacrique peragendi iuxta Kalendarium Universalis Ecclesiae. Anno Dñi bissextili 1928	3,50	4 —	4,50
RITUALE ROMANUM Pauli V Pontificis Maximi iussu editum aliorumque Pontificum cura recognitum atque auctoritate Ssmi D. N. Pii Pp. XI ad normam Codicis Iuris Canonici accommodatum qui accedit Benedictionum et Instructionum Appendix. – Editio prima post typicam. MDCCCCXXVII. Luce esatta della stampa mm. 156 × 93. Peso gr. 290. Un volume in-12° di pp. XII-674, adorno di artistiche incisioni. Stampa in rosso-nero con riquadratura rossa alle pagine. Carta sottile ed opaca. – Sciolto	25 —	26 —	28,75
— Legato in tela nera, angoli arrotondati, dorso flessibile, *taglio rosso* e busta	30 —	31 —	34 —
— Legato in tela nera, angoli arrotondati, dorso flessibile, *taglio dorato* e busta	32 —	33 —	36 —
— Legato in pelle zigrino nera, angoli arrotondati, dorso flessibile, *taglio rosso* e busta	38 —	39 —	42 —
— Legato in pelle zigrino nera, angoli arrotondati, dorso flessibile, *taglio dorato* e busta	40 —	41 —	44 —
RITUALE PARVUM cum variis benedictionum formulis. – Luce della stampa mm. 120 × 71. Stampa in nero con rubriche in corsivo, riquadratura alle pagine; pp. 230. – Sciolto	3,50	4,50	5 —
— Legato in tela, *taglio rosso*	5,80	6,50	7,60
— Legato in pelle, *taglio oro* e busta	13 —	14 —	15 —

RITUALE ROMANUM Pauli V Pontificis Maximi jussu editum aliorumque Pontificum cura recognitum atque auctoritate Ssmi D. N. Pii Papae XI ad normam Codicis Iuris Canonici accommodatum. – Editio typica. Edizione su carta indiana: altezza della pagina, compreso il margine, mm. 145, larghezza mm. 90, spessore del libro mm. 20. Luce esatta della stampa mm. 125 × 76. Peso gr. 240. Un volume in-18° di pp. VIII-948, adorno di varie artistiche incisioni. Stampa accurata, caratteri neri e nitidissimi impressi in rosso-nero, con riquadratura rossa alle pagine. Carta sottile ed opaca. – Sciolto	17 —	19 —	20 —
— Legato in tela nera, angoli arrotondati, dorso flessibile, *taglio rosso* e busta	23 —	25 —	26 —
— Legato in tela nera, angoli arrotondati, dorso flessibile, *taglio dorato* e busta	24 —	26 —	27 —
— Legato in pelle zigrino nera, angoli arrotondati, dorso flessibile, *taglio rosso* e busta	29 —	31 —	32 —
— Legato in pelle zigrino nera, angoli arrotondati, dorso flessibile, *taglio dorato* e busta	32 —	34 —	35 —

GUGLIELMOTTI (P. ALBERTO, d. O. d. P.). **Storia della Marina Pontificia.** 1886-1893, Dieci volumi in-folio (kg. 12,450) . . . . . 400 — 425 — 465 —

Vol. I. **Medio Evo** (728-1299), pp. VIII-467 — II. **Medio Evo** (1300-1499), pp. 519 — III. **Guerra dei Pirati** (1500-1537), pp. 429 — IV. **Guerra dei Pirati** (1537-1560), pp. 429 — V. **Fortificazioni nella spiaggia romana** (1560-1570), pp. VII-509 — VI. **Marcantonio Colonna alla battaglia di Lepanto** (1570-1573). pp. 423 — VII. **La Squadra permanente** (1573-1644), pp. 441 — VIII. **La Squadra ausiliaria** (1644-1699), pp. 501 — IX. **Gli ultimi fatti da Corfù all'Egitto** (1700-1807), pp. VII-466 — X. **Atlante delle cento tavole** (1458-1570), pp. VII-425.

Veneunt Romae apud Administrationem Commentarii Officialis **"Acta Apostolicae Sedis"** (*Libreria Vaticana - Vaticano - Roma*).